



Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ.



Proprium Sanctorum

—*— Mexicanorum. —*—

PARS ÆSTIVA.

DIE XVI. MAII.
S. Joannis Nepo-
muceni

Martyris.

Duplex ij. classis cum
Octava.

Omnia ut inter Festa
pro aliquibus locis eadem
die ij. loco.

DIE XXII. MAII.
S. Ritæ de Cassia,
Viduae. Duplex.

Omnia de Comm. nec
Virg. nec Mart. præter
sequentia.

Oratio.

DEus, qui beætæ Ritæ
tantam grátiam con-
fèrre dignátus es, ut quæ
te in dilectiõne inimicõ-

rum suõrum imitáta est,
in corde, et fronte caritá-
tis, et passiónis tuæ signa
portáret, da nobis, quæ-
sumus, ejus intercessiõne
et méritis, inimicos no-
stros diligere, et tuæ
passiónis dolóres spina
compunctiõnis júgiter
contemplári : Qui vivis
et regnas.

In j. Noct. Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ita Rocchæ Por-
renæ Cássiæ op-
pidulo in Umbría,
honéstis ac piis parénti-
bus nata, dum infántula
jacéret in cunis, plúries
agmen albárum apum os

ejus ingredi, atque egressi, visum est. Ab ineunte ætate pueriles lusus, et inanes curas respuens solitudine, et orationibus mirifice delectabatur. Duodecim annos nata virginitatem Deo sacrare constituit: sed ne parentum voluntati adversaretur, viro ingenio præferoci, ac moribus tetrico nupsit; cujus asperitatem ea mansuetudine tulit, ut per annos duodeviginti concorditer vixerint. Marito ab inimicis interempto, non solum pro interfectis Deum orabat, sed etiam duobus adolescentulis, quos ex eo genuerat, ut paternæ cædis memoriam abolerent, suadebat. Cum autem eisdem vindictæ cupidus, cognovisset, Deum precata est ut eos citius e vita eriperet, ne conceptam paternæ cædis ultionem explerent. His autem defunctis, a sacris Virginibus ordinis sancti Augustini multis cum lacrymishabitum religionis postulavit.

℞. Propter veritatem.

Lectio v.

AB illis autem, quod solas virgines recipere mos esset, ter re-

pulsam passa, non multo post voti compos divinitus effecta est. Nam quadam nocte, dum orationi vacaret, a sancto Joanne Baptista, quem sibi patronum in primis elegerat, vocata, ac eum per abrupta montium setum qui jussa, beato Patre Augustino, et Nicolao Tolentinato comitantibus, in cenobium mirabiliter introducta, a virginibus miraculo permotis benigne suscepta est. Re igitur familiari divendita, ac pretio in pauperes erogato, monasterium ipsum ingreditur: ubi corpus vigiliis, cilicio, spinis, quas tunica attingerat, crebrisque flagellis in servitum redigens, cibum semel in die sumebat solo pane, et aqua contenta. Obedientiæ insigne præbuit exemplum, cum Antistitæ jussu aridum lignum irrigare non dubitavit. Orationi jugiter vacabat, Christique Domini cruciatus a media nocte usque ad solis ortum tanto mentis ardore, tantæque lacrymarum vi meditabatur, ut præ doloris magnitudine pene confici videretur.

℞. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

QUADAM die cum ad Christi e cruce pendentis imaginem intēntius oraret, spina e Crucifixi corōna in fronte ita transfixa est, ut insanabile vulnus usque ad mortem pertulerit, ex quo præter acerbissimum doloris sensum fæda sanies exhalabat. Unde ne sororibus nauseam moveret, solitaria cum Deo versabatur. Sed anno sæculari Romam cum ceteris sororibus ab Antistita propter ulcers deformitatem ire vetita, repente abstergo vulnere convaleuit, quod tamen reversa domum iterum erupit. Post aliquot annos gravi morbo correpta, ipsum quadriennio patientissime toleravit; quo tempore vernans rosa ex hortulo asperrima hieme, atque duæ recentissimæ ficus ei allatæ sunt. Morti jam proxima Christum Dominum una cum beata Virgine ad cœlestia regna se vocantem audivit; atque ita susceptis omnibus Ecclesiæ sacramentis, anno post Christum natum millésimo quadringentesimo quadragésimo tertio, undécimo Kalén-

das Junii obdormivit in Domino. Corpus usque ad hanc diem incorruptum suavissimo odore fragrans pie colitur. Eam miraculis ante et post obitum conspicuam Urbānus octāvus in Beatōrum nūmerum retulit.

℞. Fallax gratia.

In iij. Nocturno, **Homilia Cœlorum regnum. ut in Communi non Virginum.**

DIE XXIII. MAIL.

Octava

S. Joannis Nepomuceni

Martyris. Duplex.

Omnia ut in die, præter sequentia.

In j. Noct. Lectiones de Script. occurr. cum ℞℞. propriis.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

De peccat. non evulg.

Serm. lvij.

Lectio iv.

NON hæc medicamentorum istorum præcipua laus est, quod animas sument, quod temporis longinquitate non corrumpantur, quod a morbis

non vincantur, quod eorum utilitas gratis proposita sit, quod ex æquo divitibus et pauperibus pateat medicina; sed et aliud quidpiam nihilo minus his boni habent. Quodnam illud tandem est? quod nos ad hanc medici officinam venientes non divulgamus. Nam illi quidem, qui ad profanas medicorum officinas abeunt, multos habent vulnerum spectatores; hic vero non ita fit, sed cum innumeros videmus ægrotos, occulte illos curamus. Neque enim in medium adductis peccatoribus, eorum deinde peccata divulgamus.

R. Instans.

Lectio v.

HOC vero non mediocriter illis prodest. Nam cum vulgi existimationi simus addicti, quamdiu quidem latere nos putamus, qui mali sumus, fieri meliores studemus: postquam autem omnibus innotuimus, et solatium illud ex occultatione perdidimus, eo magis imprudentes ac negligentes evadimus. Et quemadmodum, quæ deteguntur

ulcera, semperque frigido aeri exponuntur, acerbiora fiunt: ita quoque anima peccati rea, si coram multis ob ea, quæ deliquit, reprehendatur, imprudentior evadit. Ne igitur hoc accideret, clam vos sermo curavit.

R. Dispensit.

Lectio vij.

ATque ut intelligatis, admodum utilem hanc occultam esse mendendi rationem, audite, quid Christus dicat: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum. Et non dixit: Inter te et civitatem, neque inter te et ipsum solum. Sit sine testibus accusatio, inquit, ut facilius fiat mutatio in melius. Magnum ergo bonum est, si non publice fiat cohortatio: sufficit conscientia, sufficit incorruptus ille iudex. Non ita tu peccatorem reprehendis, ut ipsius conscientia (quippe quod aspersione illa sit accusator), neque demerita ejus accuratius nosti. Noli ergo vulnus vulneribus addere, dum auctorem peccati divulgas: sed semotis arbitris admonitionem adhibeto.

R. Ego scio.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xj.

IN illo tempore: Cum laudisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

In var. Matth. loc.

Hom. xvj.

Enuit, inquit, Joannem et alligans posuit eum in carcere. Herodes, te petit causa, te arguunt vincula, te carcer accusat, te divulgat producta in publicum poena. Joannes injuriatur: causam custodiæ qui requirit, in te invenit, quod puniat, et in Joanne, quod doleat. Joannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratissimus sanctitate, dum attrahit ad se inquisitores injuriæ, facit, ut tuus cunctis innotescat incensus: agit, ut te habeat confusio publica, quam corrigere non valuit secreta corruptio et privata. Herodem Joannes monitis, non accusatione pulsavit, utpote amator ca-

stitatis, quem corrigere voluit, non perire. Sed Herodes, facibus libidinis ardens, perire maluit, quam redire.

R. Cum corriperetur.

Lectio viij.

Odiosa fit semper libertas. Nam virtus contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis, corruptis integritas poena, luxuriosis adversa frugalitas, crudelibus dura semper misericordia, impiis pietas non ferenda. Probat hoc Evangelista, cum dicit: Dicebat Joannes: Non licet tibi accipere uxorem Philippi fratris tui. Ecce unde Herodes furit: malos qui monet, offendit, incurrit odium, qui arguit criminosos. Dicebat Joannes, quod erat legis, quod justitiæ, quod erat salutis: certe non odii, sed amoris. Ecce qualem consecutus est ab impio pro pietate mercedem.

R. Reddidit.

Lectio ix.

Volens, inquit, occidere eum, timuit populum. Facile deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed homines formidat. Hic timor peccan-

di differt facultatem, non aufert voluntatem. Unde etiam, quos suspendit a crimine, avidiores reddit ad crimen : et aestuat animo, quo usque perficiat, quod cogitat malum. Solus enim Dei est timor, qui nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, perpetem tribuit facultatem. Te Deum laudamus.

DIE XXVI. MAII.
S. Philippi Nerii
Confessoris.

Duplex ij. classis.

IN I. VESPERIS.

Añæ de Laud. Psalmi
ut in j. Vesp. de Communi
Apost.

Capitulum. Rom. v. c
Caritas Dei diffusa
est in cordibus
nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis.

Hymnus.

Pangamus Nério debita cantica,
Quem supra nitidi sidera
verticis
Virtus, et meritum sustulit inclytum
Capturum pia gaudia.
Hic uri subitis dum videt
ignibus
Ædes, quas habitat, flentibus abstinet,

Fammas cum penitus
quiverit horridas
Paucis vincere lacrimis.
Oblatum patrum munus,
et aureos
Nummos magnanimus
calcat, et impiger
Romam digreditur, quam
magis omnibus
Illustrem facit urbibus.
Noctes sub specubus, corpora Martyrum
Quas implent, vigilat sedulus integras;

Ex ipsis satagens discere mortuis
Normam, qua bene viveret.

Almæ sit Triadi gloria
perpetim,
Quam cælum, barathrum
terraque suscipit :
Quæ nobis Nerii det prece jurgia
Dulcis gaudia patriæ.
Amen.

V. Deus virtutum respice de cælo, et visita vineam istam. **R.** Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Ad Magnif. Añæ. Domus mea, domus orationis vocabitur : dicit Dominus.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Venite, adoremus Regem regum, * Qui in

domum orationis nos congregavit.

Ps. Venite, exultemus.

Hymnus.

Noctum Neriis ferula pauperi
Gestans præcipitat, peniger Angelus
Tecto significat, qualiter excidat
Numquam fervidacritas.
Orantis penetrans cordis in intimum
Laxavit spatium Spiritus impete
De cælo veniens, esset ut hospiti
Immenso locus amplior.
Ponti de medio gurgite naufragum
Tracturus vetulum, sub pede vortices
Duravit fluidos, et prope turbidum
Convertit mare in aridam.
Tractans exanimis membra puelluli
In lucem revocat, mox jubet emori,
Donatus Domini munere clavibus
Vitæ, mortis et inferi.
Almæ sit Triadi gloria
perpetim,
Quam cælum, barathrum
terraque suscipit :
Quæ nobis Nerii det prece jurgia
Dulcis gaudia patriæ.
Amen.

In I. Nocturno.

Añæ. Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram Deus meus?

Psalmi trium Nocturnorum ut in Comm. Conf. non Pont.

Añæ. Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui; et legem tuam in medio cordis mei.

Añæ. Mandata tua, Domine, desiderabam : meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

V. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.

R. Faciem tuam, Domine, requiram.

De libro Ecclesiastici.

Tertio j. Cap. ij.

Audabo nomen tuum assidue et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini. Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quaesivi sapientiam palam in oratione mea. Ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam. Et effluit

tamquam præcox uva, lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum, a juventute mea investigabam eam. Inclinaui modice aurem meam et excepi illam. Multam inveni in meipso sapientiam, et multum profeci in ea.

R. Repletus Spiritu sancto beatus Philippus ascensiones suas disposuit in corde suo: * Et totis visceribus diligebat Deum. **V.** Dedit ei Spiritus Domini sapientiam, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis. — Et.

Leectio ij.

DAnti mihi sapientiam dabo gloriam. Consiliatus sum enim, ut facerem illam: zelatus sum bonum, et non confundar. Colluctata est anima mea in illa, et in faciendo eam confirmatus sum. Manus meas extendi in altum, et insipientiam ejus luxi. Animam meam direxi ad illam, et in agnitione inveni eam. Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar. Venter meus conturbatus est quaerendo illam: propterea homo possidebo possessio-

nem. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam et in ipsa laudabo eum.

R. Spiritus sanctus a throno procedens, illius cor penetravit, * Novo sanctificationis signo. **V.** Advénit ignis divinus, confringens, urens, et illuminans; et tribuit ei charismatum dona. — Novo.

Leectio iij.

Appropiate ad me in docti, et congregate vos in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis? et quid dicitis in his? Animæ vestræ sitiunt vehementer. Apervi os meum, et locutus sum: Comparate vobis sine argento, et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

R. Amore vulneratus languēbat jūgiter, dicens: * Quis me separabit a caritate? **V.** Certus enim, quia neque mors, neque vita poterit me separare a caritate Dei, quoniam ipse in me manet et ego in eo. — Quis. Glória Patri. Quis.

In II. Nocturno.

Añ. Quam dilecta tabernacula tua, Domine! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Añ. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Añ. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum, quando veniam, et appa-
rebo ante faciem Dei?

V. Unam petii a Domino, hanc requiram. **R.** Ut inhabitem in domo Domini.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo.

R. iv. Oculis et manibus in cælum semper intensus * Invictum ab oratione spiritum non relaxabat. **V.** Clamans clamabat ad Dominum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? — Invictum.

R. v. Obitum suum longe ante præcivit dixitque fratribus: Cupio dissolvi, et esse cum Christo. **V.** Interiora mea intra me efferbuerunt absque ulla requie. — Cupio.

R. vj. Hodie Philippus migravit a sæculo, gemma sacerdotum, * Per quem in cælo viventem tanta miracula coruscant.

V. O virum ineffabilem, nec labore victum nec morte vincendum! — Per. Glória Patri. Per.

In III. Nocturno.

Añ. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Añ. Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.

Añ. Qui habitant in domo tua, Domine, in sæculasæculorum laudabunt te.

V. Meménto congregationis tuæ. **R.** Quam possedisti ab initio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Leectio vij. Cap. xij.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii
Episcopi.

Lib. 8. in Luc.

Eati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. In superioribus vigilare nos voluit, per omnia expectantes momenta Domini Salvatoris adventum; ne, dum aliquis remittit, et negligit, et de die in diem opera sua differt, iudicii futuri die, vel propria morte prævntus meritum suæ commendationis amittat. Et illa quidem in omnes præcepti forma generalis: (quod si dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire); verum series sequentis exempli dispensatoribus, hoc est, sacerdotibus videtur esse propòsita, quo sciant sibi gravem in futurum poenam esse subeundam, si sæcularibus intenti delictis, familiam Domini plebemque commissam sibi gubernare neglexerint. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.

R. Domus mea domus

orationis vocabitur :
* In eo omnis, qui petit, accipit : et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. **V.** Lætificabo eos in domo orationis. — In ea.

Lectio viij.

SED quia exiguus est profectus, et parva meritòrum gràtia, supplicii metu ab errore revocari, majorque prærogativa caritatis et amoris est; Dominus ad promerendam sui gràtiam stùdia nostra acuit, et acquirendæ cupiditate divinitatis inflammat, dicens: Ignem veni mittere in terram; non utique illum ignem consumptionis bonòrum, sed bonæ voluntatis auctorem, qui aurea Dominicæ domus vasa meliorat, fœnum vero consumit, et stipulam, ac sæcularia omnia mundi voluptate concreta, perituræque opus carnis exurit; ille ignis divinus, qui flammigerabat in ossibus Prophetarum, sicut sanctus Jeremias dixit, qui factus est sicut ignis ardens flammigerans in ossibus meis. Est enim ignis Domini, de quo dictum est : Ignis ante eum ardebit.

R. Obsecro itaque, filii, orationes fieri, postulationes, et gratiarum actiones pro omnibus : * Et diligite decorem domus Dei. **V.** Manete in vocatione, attendite lectioni, exhortationi, et doctrinæ; conversationem intergentes habete bonam. — Et Glòria Patri. Et.

Lectio ix.

Sint autem lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes, et ideo quia nox est dies hujus vitæ, lucerna est necessaria. Hunc ignem in se etiam et Amaon, et Cléophas a Domino missum esse testantur, dicentes : Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperiret nobis Scripturas? Evidenter itaque ignis sit operatio, qui secreta cordis illuminat. Et ideo fortasse Dominus in igne venturus est, ut resurrectionis tempore vitia universa consumat, sui que conspectu desideria compleat singulorum, meritòrumque, et mysteriorum lumen accendat.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,
et per Horas, Ant. **A.**

1. De excélsò * misit

ignem in ossibus meis, et erudit me.

Ps. Dominus regnavit. cum reliquis.

2. Concaluit cor meum * intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

3. Cor meum, * et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.

4. Factus est * in corde meo quasi ignis festuans, et defeci ferre non sustinens.

5. Defecit caro mea, * et cor meum. Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætèrnum.

Capitulum. Rom. v. c

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum ejus in nobis.

Hymnus.

Cælòrum Domino dum sacra mûnera libabat Nèrius, sæpius advolans Tellurem rapido corpore deserit

Christo fiat ut obvius.

Illi non rutilans purpura principum

Sacrorum tegumen, non rubra pilei

Majestas placuit, cui placet unica

Vestis candida virginum.

Ægròtus Mariæ dans pia brachia

Collo virgineo, fertur in
aëra

Intro ceu cūperet posse
cubiculum

Duci matris in arduum.

Corpus desēruit, cum
Deus hōstiae

Fertur sub nīvæ tēgmi-
ne cōditus,

Prudens in pátriam pē-
gere splēndido

Nolens absque viático.

Almæ sit Triadi glória
pēperet,

Quam cœlum, bāra-
thrum, tērraque sūs-
cipit :

Quæ nobis Nērii det pre-
ce júgia

Dulcis gáudia pátriæ.

Amen.

✠. Cáritas Dei diffusa
est in cōrdibus nostris.

✠. Per Spíritum sanctum,
qui datus est nobis.

Ad Bened. Añā. Hæc
est cáritas Dei, ut man-
dáta ejus custodiámus,
et mandáta ejus grávia
non sunt.

Oratio.

DEus, qui beátum
Philippum Confes-
sorem tuum Sanctórum
tuórum glória sublimá-
sti : concède propitius; ut
cujus solemnitate lætá-
mur, ejus virtútum profici-
ciámus exémplo. Per Dó-
minum nostrum.

AD TERTIAM.

Capit. Cáritas Dei.

✠. br. Nunc manent
fides, spes, cáritas, * Tria
hæc. ✠. Major autem
horum est cáritas. Tria.
Glória Patri. Nunc.

✠. Sectámini caritá-
tem. ✠. Æmulámini spi-
rituália.

AD SEXTAM.

Capitulum 1. Joann. iij.

QUI viderit fratrem
suum necessitatem
habere, et cláuserit vi-
scera sua ab eo, quómo-
do cáritas Dei manet
in eo?

✠. br. Filioi mei, * Non
diligámus verbo, neque
lingua. Filioi. ✠. Sed
ópere, et veritate. Non.

Glória Patri. Filioi.

✠. In hoc cognóscimus.
✠. Quóniam ex veritate
sumus.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. xij.

CAritas pátiens est, be-
nigna est, non æmu-
látur, non agit pēperam,
non inflátur, non est am-
bitiōsa, non quærit quæ
sua sunt, sed quæ Jesu
Christi.

✠. br. In hoc scimus
quóniam cognóvimus
eum, * Si mandáta ejus
observémus. In. ✠. Qui
dicit se nosse eum et

mandáta ejus non custó-
dit, mendax est. Si. Gló-
ria Patri. In hoc.

✠. Qui autem servat
verbum ejus. ✠. Vere in
hoc cáritas Dei perfecta
est.

IN II. VESPERIS.

Añæ ut ad Laudes. Psal-
mi ut in j. Vesp. Apost.
Capit. et Hymnus ut su-
pra in j. Vesperis.

✠. Meménto congrega-
tiōnis tuæ. ✠. Quam
possedisti ab initio.

Ad Magnif. Añā. Veni-
te filii, audite me, timó-
rem Dómini docébo vos.

DIE X. JUNII.

S. Primitivi

Mart., *cujus corpus as-
servatur in hac Metro-
politana Ecclesia.*

Duplex. Mexici.

Omnia de Comm. unius
Mart., præter sequentia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus
omnipotens Deus :
ut qui beáti Primitivi
Mártiris tui natalitia có-
limus, intercessiōne ejus
in tui nóminis amóre ro-
borémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In ij. Noct. Lect. Trium-
phális. de Comm. j. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum.

Leectio vij. Cap. xvj.

IN illo tēmpore : Dixit
Jesus discipulis suis :
Nolite arbitrári quia pa-
cem vénerim mittere in
terram : non veni pacem
mittere, sed gládium. Et
réliqua.

Homilia sancti Hilárii
Episcopi.

Canon. x.

UÆ ista divisio
est? inter prima
enim legis præ-
cépta accépimus : Honó-
ra patrem tuum et ma-
trem tuam; et ipse Dómi-
nus ait : Pacem meam do
vobis, pacem meam re-
linquo vobis. Quid sibi
vult missus pótius gládium
in terram, et separátus a
patre filius, et filia a ma-
tre, et nurus advérsus
socrum, et hóm̄inis domé-
stici ejus inimici? Igitur
exinde pública auctóri-
tas impietáti proferétur.

Ubique ódia, ubique bel-
la, et gládium Dómini
inter patrem et filium, et
inter filiam matremque
desæviens. ✠. Coróna.

Leectio vij.

GLádium telórum óm-
nium telum acutissi-
mum est, in quo sit jus

potestatis, et iudicii se-
veritas, et animadversio
peccatorum. Et hujus
quidem teli nomine novi
Evangelii praedicationem
appellatam frequens in
Prophetis auctoritas est.
Dei igitur verbum nuncu-
patum meminimus in
gladio : qui gladius mis-
sus in terram est, id est,
praedicatione eius hominum
cordibus infusa. Fitque
gravis in domo una dis-
sensio, et domestica novo
homini erunt inimica :
quia ille per verbum Dei
divisus ab illis, manere
et interior et exterior, id
est, et corpus et anima, in
spiritus novitate gaudet.
R. Hic est vere.

Lectio ix.

Pergit deinde eodem
praeporum et in-
telligentiae decursu. Nam
posteaquam relinquenda
omnia, quae in saeculo
carissima sunt, impera-
verat, adjecit : Qui non
accipit crucem suam, et
sequitur me, non est me
dignus : quia qui Christi
sunt, crucifixerunt corpus
cum vitii et concupiscen-
tia. Et indignus est Chri-
sto, qui non crucem suam,
in qua compatiuntur, com-
morimur, consepelimum,
conresurgimus, accipiens,

Domini sit secutus, in
hoc sacramento fidei spi-
ritus novitate victurus.
Te Deum.

DIE XV. JUNIL.**Ss. Viti et Soc.**

**Martyrum quorum Reli-
quia asservatur in hac
Metrop. Ecclesia.**

Duplex. Mexici.

**Omnia de Comuni
plurimorum Mart. prae-
ter sequentia.**

Oratio.

DA Ecclesiae tuae,
quaesumus Domine,
sanctis Martyribus tuis
Vito, Modesto atque
Crescentia intercedenti-
bus, superbe non sapere,
sed tibi placita humili-
tate proficere; ut prava
despiciens, quaecumque
recta sunt, libera exer-
ceat caritate. Per Domi-
num nostrum.

**In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.**

**In ij. Noct. Lect. iv. et
v. ut in Brev. Lect. vj.
Quotiescumque. de Com-
muni j. loco.**

In III. Nocturno.

**Lectio sancti Evangelii
secundum Lucam.**

Lectio vij. Cap. x.

In illo tempore : Di-
xit Jesus discipulis
suis : Qui vos audit, me

audit; et qui vos spernit,
me spernit. Et reliqua.
Homilia venerabilis Be-
dae Presbyteri.

Lib. 3. in Luc. cap. xlij.

T in audiendo
quisque vel sper-
nendo Evangelii
praedicatorum, non viles
quasque personas, sed
Dominum Salvatorem,
imo ipsum Patrem sper-
nere se vel audire disce-
ret, ait : Qui vos audit,
me audit; et qui vos sper-
nit, me spernit; qui au-
tem me spernit, spernit
eum, qui me misit. Quia
proculdubio in discipulo
magister auditur, et in
filio pater honoratur.
Potest et ita intelligi :
Qui non facit misericor-
diam uni de fratribus
meis minimis, nec mihi
facit; quia et ipse pro his
formam servi, et paupe-
ris habitum suscepit.

R. Propter.

Lectio vij.

Reversi sunt autem se-
ptuaginta duo cum
gaudio dicentes : Domi-
ne, etiam daemonia subi-
ciuntur nobis in nomine
tuo. Bene quidem con-
fessi sunt, deferentes ho-
norem nomini Christi;
sed quia infirma adhuc
fide gauderent in virtu-

tibus, vide qui audiant.
Et ait illis : Videbam sa-
tanam sicut fulgur de
caelo cadentem. Non mo-
do video, sed prius vide-
bam, quando corruit.
Quod autem ait : Sicut
fulgur, vel praecipitem
de supernis ad ima la-
psum significat, vel quia
dejectus adhuc transfigu-
rat se in angelum lucis.

R. Sancti mei.

Lectio ix.

Ecce dedi vobis pote-
statem calcandi su-
pra serpentes et scorpio-
nes, hoc est, omne genus
immundorum spirituum
de obsessis corporibus
ejiciendi. Quamvis et ad
litteram rectissime possit
accipi : siquidem et Pau-
lus a vipera invasus, ni-
hil adversi patitur; et
Joannes, ut historia tra-
dit, hausto veneno non
laeditur. Hoc sane inter
serpentes, qui dente, et
scorpiones, qui cauda
nocent, distare arbitror :
quod serpentes aperte
saevientes, scorpiones
clanculo insidiantes, vel
homines vel daemones si-
gnificent. Serpentes, qui
inchoandis virtutibus ve-
nena pravae persuasionis
objiciunt : scorpiones, quae
consummatas virtutes ad

finem vitare contendunt. Verumtamen in hoc nolite gaudere; quia spiritus ejicere sicut et virtutes alias facere, interdum non est ejus meriti qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit. Te Deum.

DIE XVI. JUNII.
S. Joannis Francisci Regis.

Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXII. JUNII.
S. Paulini

Episc. et Conf. Duplex. Mexici et Angelopoli. Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio. Da quæsumus. In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Noct. Lect. iv. et v. ipsius Sancti ut in Brevariario. Lectio vj. Sermo sancti Máximi. de Communi j. loco.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusillum gregem. de Comm. Conf. non Pont. ij. loco, sed *℞.* vij. Amavit eum.

FERIA IV.

POST OCT. SS. PETRI ET PAULI APOST.

Pretiosiss. Sanguinis D. N. J. C.

Duplex ij. classis.

IN I. VESPERIS.

Añæ de Laud. Psalmi ut in j. Vesp. de Comm. Apost.

Capitulum. Hebr. ix.

Ratres: Tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine aspersionis; et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio.

Hymnus.

Maximus Redemptor orbis

Morte vitam contulit: Qui nec argento caduco, Sed nec auro labili,

Corporis tamen sacrati Nos redemit sanguine.

Mitis Agnus immolatur Omnium pro crimine:

Ne quod arte fabricatum Conditoris exstitit,

Dirus hostis possideret, Qui malum suggesserat.

Magna præstat immolatus

Dux salutis omnium; Complet excessum, fideles

Quem prophetae dixerant:

Nostra tunc peccata solvit,

Nos tyranno liberans.

Misit infans carne scissus,

Misit orans sanguinem:

Misit et flagella passus,

Orbe punctus spineo:

Dum manus, pedes latuque

Pandit, offert sanguinem.

Laus, honor, virtus superæma

Conditori machinæ,

Quam Pater summus gubernat,

Natus, atque spiritus,

Omnibus Deus colendus Sæculorum sæculis.

Amen.

V. Redemisti nos Domine. *R.* In sanguine tuo.

Ad Magnif. Añæ. Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Dei Filium, qui suo nos redemit sanguine, * Venite adoramus.

Ps. Venite, exultemus.

Hymnus.

Sanguis olim victimarum,

Quem vetus lex obtulit,

Fœderis novi sacratum

Nuntiabat sanguinem:

Quo redempti, sanctitatem

Assequamur spiritus.

Lex amoris postulabat

Differentem victimam,

Offerens ubi sacerdos

Esset idem victima:

Seque clemens immolaret

In medelam criminum.

In crucem Redemptor actus,

Nostra delet crimina:

Quando pro salute mundi

Ex sacro corpore

Uberes rivi cruoris

Copiose profluunt.

Perforatur namque clavis,

Et latus dirumpitur:

Unde sacramenta manant,

Labe quæ nos abluunt:

Hinc caput nostræ salutis

Confitemur sanguinem.

Laus, honor, virtus superæma

Conditori machinæ,

Quam Pater summus gubernat,

Natus, atque Spiritus,

Omnibus Deus colendus Sæculorum sæculis.

Amen.

In I. Nocturno.

Añā. Accipiens sanguinem Moyses, omnem populum aspersionem, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Festo Pretios. Sanguinis, Dom. I. Julii in Breviario.

Añā. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Añā. In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

V. Redemisti nos Domine. **R.** In sanguine tuo.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. xij.

Exit Dominus ad Moysen, et Aaron in terra Aegypti: Loquimini ad universum coetum filiorum Israel, et dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, et domos suas. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tollatis et haedum. Et servabis eum usque ad quartadecimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multi-

tudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminariis domorum, in quibus comedent illum.

R. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem, * Per sanguinem ejus. **V.** Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis. — Per sanguinem.

Lectio ij.

Transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine usque ad pecus: et in cunctis diis Aegypti faciam judicia, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in aedibus in quibus eritis: et videbo sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Aegypti. Habebitis autem hunc diem in momentum: et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.

R. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra

conversazione paterna traditionis: * Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. **V.** Ex corde invicem diligite, renati non ex semine corruptibili. — Sed.

Lectio iij.

Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, et dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspersionem ex eo superliminare et utrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suae usque mane. Transibit enim Dominus percutiens Aegyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et laedere.

R. Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus: * Cujus livore sanati estis. **V.** Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem animarum vestrarum. — Cujus. **Gloria Patri.** Cujus.

In II. Nocturno.

Añā. Justificati in sanguine Christi, salvi erimus ab ira per ipsum.

Añā. Pretioemptis: nolite fieri servi hominum.

Añā. Dedit semetipsum Jesus Christus pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.

V. Beati qui lavant stolas suas. **R.** In sanguine Agni.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

Lectio iv.

Homilia ad Neophytos.

Ultis sanguinis Christi audire virtutem? Redeamus ad ejus exemplum, et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Aegypto nocte media Aegyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, quia primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judaeorum una cum illis periclitaretur, quia unus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde exemplum mirabile, ut discas in veritate virtutem. Ira divina indignationis sperabatur,